

Circa pretium legitimum & vulgare obseruatio peculiaris.

dum est verum rei pretium a Magistratu definitum, ne excedatur. Iuxta illum ergo videtur dicendum pretij vulgaris taxationem falso iudicio imitti, & ita non curandum, sed standum iudicio Magistratus, qui sapientium consilio adhibito, & semotis affectibus iudicauit. Sic enim hoc accipiendum est: nam si magistratus sine consilio pretia imponere pergat, nihil faciet, & poterit illius sententia repudiari. Est tamen illud difficile: quia alias non esset simul pretium vulgare & legitimum: cuius contrarium supponitur a praefato Auctore; quia pretium vulgare iuxta datam explicationem pretium non est, cum non innitatur veritati. Quod autem verum pretium sit constat ex praecedenti resolutione eiusdem Paris num. 13. vbi ait, quod si pretium legitimum maius sit quam vulgare, ordinariè non est licitum exigere pretium legitimum; quia ordinariè pretium taxatur in gratiam emptorum, vt non excedatur; non autem vt infra non descendatur, si circumstantia variantur, & communis aestimatio minoris faciat. Iuxta quam doctrinam pretium vulgare est verum pretium, & de illo consequenter loquitur in secunda assertionem: non ergo Magistratus taxatio ita punctum veritatis attingit vt pretium vulgare debeat penitus falsum reputari. Alias resolutio prior stare non poterit, iuxta quam pretio legitimo vulgare anteponendum affirmatur. Posito ergo pretio legitimo, non ideo vulgare cessat, sed impeditur: vnde si legitimum cesset, statim vulgare succurrit, quod idem fuerat ante legitimi positionem, quia communis aestimatio semper est eadem. Vnde si quis ignorans pretium legitimum, iuxta vulgare contrahat, non est ad restituendum obligatus. Immo etiam si non ignoret, idem dicendum graues scriptores affirmant, ex quibus P. Molina Dissput. 364. Vers. Conueniunt Doctores, & Dissput. 365. Vers. Ex his, & ex quinque. P. Rebellus eius doctrinam adducens, vt quae magnam probabilitatem habeat Part. 2. lib. 9. quaest. 2. n. 14. & alij.

Quid pro casu praesenti speciale.

57 Quidquid autem de hoc sit in rebus alijs, in casu nostro non videtur vrgere illa P. Lessij doctrina, aliorumque, quia illorum ratio non habet locum: pretium siquidem taxatur a lege in gratiam emptorum, quorum ita vilitati consulitur, quod equidem ita euenit in argento viuo, quatenus in gratiam Regis pretium illius determinatum est, licet re ipsa maius sit; quia vt tale sit respectu Regis aliqua considerantur, propter quae conueniens ea moderatio fuit. Quemadmodum pragmatica tritici solet esse diuersa respectu exterorum, & indigenarum, de quo scriptores in materia de Contractibus, & pro quo P. Molina Dissput. 346. P. Lessius supra num. 30. P. Thomas Sancius Tomo 1. Consiliorum, Lib. 1. Cap. 7. Dub. 4. num. 6. & Dub. 5. num. 10. Cardinalis Lugo Dissput. 26. num. 62. & alij. Atqui emptoribus nullam gratiam facere voluit, quandoquidem emptionem illam exosam habet; & ita pretium vulgare, & non legitimum cellaret, vulgare esset multo maius, vnde etiam stante illo potest & hoc locum habere, quamuis communem sententiam de obligatione pretij legitimi alias teneamus.

Exteris carnis vendis posse.

58 Cvm Minerariis argenti viui Indi ad laboriosum illud opificium tradantur, obligatio illis imponitur, vt quotannis vndecim quintalia, seu centilabras pro singulis capitibus reddant a Rege iuxta taxam dictam emenda. Quia vero labor eorum ad plura praeuallet, venditiones illa anticipatae fiunt, vt quotannis vndecim quintalia, seu centilabras pro singulis capitibus reddant a Rege iuxta taxam dictam emenda. Multoties siquidem labor spei non responderet, & ita non habent, quo possint Regi pariter, & emptoribus satisfacere; cum tamen instent isti, & sibi debitum reddi contendant. Quia vero reddi non est possibile in specie, vrgent dandum sibi tantum pecuniae, quantum sufficiat ad emendam quantitatem eandem, quae tunc quidem, non secundum legale pretium, sed secundum vulgare est mensuranda, quia non inuenient, qui velit pro legali vendere, & ita qualemque vulgare sit, iuxta illud dicunt satisfactio nem faciendam, vt seruentur indemnes: cum communis doctrina sit eum, qui est in mora soluendi, ad reparationem damni teneri creditori, cuius est causa. Sic accidit vt Metallarij vel non soluant, & sic conscientiae grauamen incurrant; vel soluant quidem, ne creditum amitant, hinc inde conquirentes & se nouis oneribus praegravantes, & emptores lucrum immane reportent, centum scilicet pro centum. Circa quod operae pretium erit pro iustitia aperienda laborum.

De obligatione alia ex Contractu praedicto resultante.

59 Et in primis si Metallarius verosimiliter sibi persuasit non futuram sibi tantam metalli copiam, vt & Regi, & emptoribus satisfacere possit, ad recompensationem integram tenetur, si constet emptorem ab alio empturum, qui contractum adimpleret. Tunc siquidem dolo malo causa damni est, aut lucri cessantis, non secus, ac si volentem contrahere cum aliquo, eum per fraudem a contractu, ex quo certum esset lucrum habiturus, reuocaret. In quo dubium esse nequit, quia hoc pacto iustitia commutativa manifestè violatur, & violatio talis per restitutionem debet ad aequalitatem reuocari. Et ita haec est communis regula a Doctoribus de restitutione agentibus assignata. Pro qua videri possunt P. Lessius Lib. 2. Cap. 12. Dubit. 18. Bonacina de restitutione Dissput. 1. quaest. 2. Punct. 12. & plures apud ipsum. P. Molina Dissput. 340. vers. Quamuis sine re.

60 Non tamen ita ex integro obligatio restitutionis est, vt debeat restitui, quidquid hic & nunc necessarium est ad metalli quantitatem emendam. Et ratio est; quia non erat certum, si cum alio contraheret, eum fidem contractus seruaturum. Sicut enim hic, cum quo contraxit, stare contractui non potuit, posset & alter, & licet verosimilius esset alterum non defuturum contractui, id tamen omnimodam certitudinem non habuit, & in hoc praesertim genere frequentes casus occurrunt, quibus spes solet successus desiderati frustrari. Vnde circa hoc prudentis consilium adhibendum, & pro hoc stat communis scriptorum sensus, viderique citati possunt. Prior quidem num. 123. vbi ait fraude impediendum

Praxis Metallariorum, vnde diffinitas.

Quid pro illa in casu vno tenendum.

Regula pro obligatione restitutionis.

Moderatio adhibita cum doctrina de impediendo quem ne bonum aliquod consequatur, & qualiter spes assumenda.

Si bona adit fides, ad compensationem non tenent, qui contractum non fecerit.

netu teneri ad restitutionem, quanti iudicio prudentis ea spes sic impedito valebat. Posterior autem numer. 1. vers. Verumtamen est. ita scribit: verumtamen est in hac restitutione faciendâ habendam esse rationem circumstantiarum: vt videlicet attendatur bonum a quo alter fuit impeditus: non fuisse bonum in re, sed in spe, dependens a mutabili voluntate collateralis: bonum autem in spe minus, valet, quam in re. Sic ille, pro se adducens P. Molinam. P. Vaquez & communem aliorum sensum.

61 Quando autem Metallarius bonâ fide contraxit, sed spei non successit euentus, teneri in conscientia ad compensationem damni, aut lucri cessantis, probabiliter potest negari, iuxta dicta Titulo praecedenti num. 34. circa Depositarium, non scilicet teneri nisi ex mortali culpa. Doctores autem sic tenentes generaliter loquuntur de damno ex contractibus proueniendi, quorum eadem est ratio. Pro quo sunt etiam plures, quos adducit & sequitur Diana Parte 1. Tract. 8. Resolut. 43. & Parte 2. Tract. 15. Resolut. 49. id generaliter asserentes de moroso inculpabiliter debitore. Pro quo & videri potest P. Amicus Dissput. 20. de Iustitia num. 93. Item obligatio compensationis aut oritur ex contractus ipsius natura; aut ex speciali contrahentium conuentione, vel ex lege aliqua positua. Non primum, quia contractus emptionis, & venditionis sine tali obligatione stare potest; vt constat, cum consistat tantum in commutatione mercis, & pretij, quod reddendum iustitia cogit, vt venditor contractum nequeat adimplere. Nec secundum, quia de tali conuentione non constat; & vt constaret, dubitari posset, an obligaret, si pro tali obligatione pretium aliquod non fuerit constitutum. Quod sic proba; nam cum obligatio specialis superadditur contractui, nouum est etiam pretium addiciendum, vt est communis doctrina; pro qua Cardinalis Lugo Dissput. 26. numer. 180. Neque tertium quia lex talis non est, etsi aliqua esse dicatur ex ciuilibus, vt L. 2. §. Non vtiq; & L. 4. w. de eo, quod certo loco. eam non obligare in conscientia probabiliter dici potest, iuxta dicta Titulo praecedenti num. 35. eo quod vbi grauis culpa non est, nequeat grauamen improportionatum imponi, & mortali tantum reatu correspondens, & ita de legibus istis sentit Cardinalis Lugo Dissput. 18. num. 28. qui numer. 35. Dianae, & aliorum sententiam complectitur.

62 Quod etiam a simili probari potest ex communi doctrinâ, de qua etiam citatus Cardinalis ibidem num. 158. circa euictionem, quando res aliena vendita est; si enim quis sciens esse alienam vendidit, tenetur in conscientia ad interesse, & damna emptori, & rem ipsam tradere vero domino post redditum pretium emptori. Si autem ignorans vendidit, cognita veritate, tenetur quidem reddere pretium emptori, non tamen ad interesse, vel damna. Est autem simile in casu nostro, dum quis vendit quod suum reuera non est, quia neque reuera est aut erit, & ita ad damna, & interesse non tenetur, sed ad pretij accepti redditionem.

63 Item ex receptissima alia doctrina, de qua pluribus citatis, Bonacina de Contractibus Dissput. 3. Quaest. 1. Punctio 6. num. 21. dicunt enim, quod quando res aliena perit casu fortuito,

accipiens non tenetur ad restitutionem, siue rem acceperit in sui, siue alterius contrahentis, siue in vtriusque vtilitatem, excepto tamen pacto, culpa, & mora; atqui in casu, de quo loquimur, simile quid est, quia vel casu fortuito metalli extractio non fuit, aut fortuito simili, dum id, quod verosimiliter sperabatur iuxta ordinarium rerum cursum, sua est expectatione frustratum: ergo similiter dici potest non esse obligationem ad damna, & interesse, sed ad pretij solutionem.

64 Praeterea, est sententia alia, quam vt iuri communi conformem proponit, & complectitur P. Molina Dissput. 368. vers. Tertia conclusio. Vbi ait quod si emptor pretium tradat, & venditor in mora sit tradendi rem venditam, tenetur ad omne interesse intrinsecum rei illius. Vt si tempore, quo res erat tradenda, plus valuit, & postea vel deterior est facta, vel decreuit in pretio; non vero ad interesse extrinsecum, quale est lucrum cessans, aut damnum per accidens, vt si mancipium fame perit. Tunc sic. In casu nostro res tradenda nullum habuit interesse intrinsecum, quia non erit nullae sunt proprietates; ergo ratione illius nihil debetur, & aliunde nihil etiam est debitum ratione lucri cessantis, aut damni emergentis: redditione igitur accepti pretij res videtur absoluta.

65 Nihilominus communis sententia contrarium tenet, quia vt ait P. Lessius Lib. 2. Cap. 16. num. 33. contractus tacito consensu videtur sic intelligendi; vt videlicet post terminum tenearis solvere, vel damna emergentia compensare; nisi forte interim in grauem necessitatem incidaris &c. Pro quo & Cap. 20. num. 69. ait, quod quando in contractibus constituitur terminus solutionis, vel rei exhibendae; inquit tacitum pactum, vt non soluens teneatur ad interesse, defectu solutionis obueniens, iuxta leges citatas num. 61. sequenti autem numer. 70. calum impossibilitatis excipit, quando impotentia est inculpabilis, non tamen ob detrimentum graue rei familiaris. Vnde mirum est a Diana pro sua sententia citari quem ad vnguem sequitur Trullench Lib. 7. Cap. 19. Dub. 8. ex eodem principio id tenet P. Molina Dissput. 315. num. 2. quoniam eo ipso quod terminus solutionis praefigitur, tacite, ac virtute censetur interuenire pactum, quod debitor teneatur ad interesse; si non soluat. Iam enim tunc qui dedit, inuoluntariè illo priuatur. Eum cum alijs sequitur P. Onate Dissput. 107. n. 17. & 18. P. Sa

Et ex doctrina alia circa morosum traditorem rei vendita.

Contraria positio est communis apud Doctores, ob pactum tacitum.

P. Lessius.

P. Molina.

P. Sa.

V. Mora n. 2. pro eodem videtur stare, quatenus firmat sententiam istam vsu Mercatorum receptam. Si ergo recepta vsu, pactum videtur tacitum intercedere, & quod in nostro casu recepta sit, vsu est etiam manifestum: soluit enim qui possunt, cum tamen ad id per iudices non compellantur quia causa ista lucem tribunalium reformidant. Et vsu quidem talem, ac tacitum pactum, conuenienter illi inducere poterant, quia probatio mora inculpabilis est saepe difficilis, & in eo causa communis agitur: sicut enim quis ad interesse compellitur, potest & ille debitores suos compellere. Et in casu nostro licet facile probari possit metallum sufficiens defuisse; potest tamen emere ab alijs, & sic emptori satisfacere, vnde non est ad casus impotentiae, vel ad tribunal superioris protocandum.

66 Quod vrgeri vterius potest ex iis, quae habet

Creditorum posse



debitorem usque ad executionem uigere. Ex quo confirmatio, si cui ex venditione sub hasta.

habet P. Molina Disput. 754. vbi licet propter graue detrimentum, quod ad impotentiam reducitur, existimet debitorem excusari a reddendo debito; addit tamen creditorem sine peccato posse eundem uigere, usque ad executionem faciendam, & venditionem bonorum sub hasta, in quo venditionis genere grauia debitoribus detrimenta congeruntur. Cum ergo executione vtentes non peccent; signum est sic inter Mercatores in usu haberi, vt excusationes inculpabilis moræ non admittantur; etiam quando adeo rigido medio solutio est debitorum uigenda. Quia scilicet in eo communis causa vertitur, dum qui executione vexantur, debitores etiam suos possunt executione vexare. In casu autem impotentia non est mirum, si obligatio in conscientia foro non sit. Quod secus accidit in eo, de quo agimus, in quo impotentia non est, licet grauamen aliquod addit: unde satis est rationi conforme Mercatores eo modo contrahere, & ita obligationem iustitiae ex non adimplerone resultare. Est ergo vtrumque probabile, & de Hydrargyro satis. In fine addendum quod post hæc scripta comperi, custodiæ Minarum præpositos metallum occultè extrahere, & vt possunt vendere: quod aliqui ex eo iustificænt, quia tacitus consensus Minerariorum est, ex quo omnis cessat difficultas. Vnde consulendus vltus. Quod si in bona fide sint, nihil mouendum, quia succedet alia, & cum eâ peccatorum copia. Vide Titul. 1. num. 124.

CAPVT VI.

De contractu circa Indos pro Mineris assignatos.

Praxis circa Indos minus toleranda ex auaritia pte.

67 Via de Indis Metallariis notanda quædam occurrunt, & de iis præsertim qui in Minerâ sat celebri ar- genti viui laborant, post contractus circa illud operæ pretium erit discussionem istam subiiciamus: solet namque circa Indos, qui ex diuersis Prouincijs ad metalla effodienda designati sunt, contractus talis exerceri, vt ij quibus illi dantur, non Indos, sed pecuniam pro eisdem accipiant, & certum stat vt non pretium habent, iuxta Prouinciarum distantiam: ita vt pro quolibet capite quinquaginta argenti pondera, siue octiregales quandoque accipiant, pro bimestri, & multoties amplius; & plerumque accidere, vt personaliter euntis prohibeantur, & deterreantur, effregenturque; testis est D. Escalona in Gazophylaeo Libr. 1. pag. 45. vt sit occasio mittendi iudicem à Governatore, qui per Prætores Prouinciarum faciat eos, qui ex assignatis defunt, pecuniâ compensari, iuxta taxationem dictam, aut fortè maiorem.

Per rescripta Regia damnant.

68 In quo quidem adeo aperta iniustitia est, vt nequeat contractus talis in quæstionem reuocari. Id quod Philippus Tertius Rex noster suo Regio rescripto Anni 1620. die 15. Iulij, quod integrum proponit citatus D. Escalona pag. 44. his est verbis protestatus, de Indis agens Potosini montis Minerariis assignatis. Que mas de la tercia parte de los Indios, que estan repartidos para la labor

de las minas del dicho Exexo, de tan de subir à trabajar à ellas porque los Mineros, à quien estan repartidos, los releuan de ello, por cobrar siete pesos de à ocho reales cada semana por cada Indio de los que se quedan, diciendo que con esta plata alquilan otros Indios que trabajan; y que aunque es verdad que algunos lo hacen, los mas en general sequeduan con la plata, y no llenan quien trabaje en lugar de los Indios: lo qual demas de ser cosa que ni en consciencia, ni en Iusticia se debia permitir, era ocasion para que los dichos quintos ayara venido en tanta disminucion. &c. Pro quo & alia videnda apud Dom. Solorzanum Tom. 2. Lib. 1. Cap. 17. num. 10. & seqq. & in Politicâ Lib. 2. Cap. 18. §. La segunda & seqq. vbi rescripta alia refert, & grauitatem peccati cum restitutionis obligatione perpendit, addens nûdinationem aliam Indorum, dicit, qui eos ad Minerarum laborem accipiunt, alijs vendunt iusto pretiû in Regia iam schedula præmissum. In quâ tamen compensatio pretij videtur approbari, si is, qui pro aliquo pretium accipit, substituat alium, cum tamen in acceptione pretij dicti suafit etiam difficultas.

Quando compensatio videtur approbari.

69 Et quidem quando Indi à labore prohibentur, & vt non veniant accurratur, pretio eorumdem accepto, restituendum illud Indis eisdem, omnino exploratum est: quia sic pretium dictum imbutans, nullum habet titulum ad illius acceptione. Si aliquis enim esse potest, ille profecto, qui ex assignatione resultat, pro labore in Mineris exhibendo, & sibi vili futuro: atqui labor cessat: ergo & cessat titulus. Neque ab Indis compensatio aliqua exigi potest, per quos non stat laboris huiusce defectus, cum venire, aut redire inuitis accidat, & est iuris regula manifesta; quod: cum non stat per eum, ad quem pertinet; quo minus conditio impleatur: haberi perinde, ac si impleta fuisset 66. in 6. Regi autem ob defraudationem quintonum non deberi restitutionem aliquam, videtur ex citato rescripto probari, dum ait: lo qual de mas de ser cosa que ni en consciencia, ni en Iusticia se debia permitir, era ocasion para que los dichos quintos &c. Vbi quod ad quintonos attinet, non ad obligationem iustitiae refertur, & ita neque obligatio restitutionis inde videtur resultare.

Restitutio nis obligatio quando manifesta ob impeditos malitiosos Indos.

Cap. Cum non stat, de reg. iur.

Regi faciendam ostendatur.

70 Nihilominus id non videtur posse negari, quia Indi sub eâ conditione traduntur; & licet dici possit quintonum obligationem aliquantulum minuendam, quia expensæ maiores iam sunt, & Mineræ tenuia emolumenta suppedient, quod tamen Rex absolute iuribus istis defraudari tutâ conscientia queat, minime potest sustineri. Qui ergo in causa est vt illis priuetur, ad restituendum iuxta prudentis arbitrii obligatur. Neque Regium rescriptum obligationem in hoc iustitiae negauit, sed ea generaliter assera, magnum illud Regij patrimonij detrimentum expressit, in quo constat aliâs iustitiam violari. Quemadmodum neque in prædictâ quintonum expressione obligatio conscientia adiecta est, de quâ præmissum. Que ni en consciencia. Et tamen negari nequit quin grauamen aliquod conscientia sit, quia fides Regi præstita violatur, bono communi præiudicium inferitur, & causa est vt Regij vasalli plus impositionibus grauentur, dum magnum illud quintonum subsidium deficit, & pariter massa integra, ex quâ illa extrahuntur, pro communi bono summopere valitura.

Compensatio praxi recepta multorum minus compensatur.

71 Iam quod difficile dicebamus, scilicet pretium pro Indis accipere, quos ex assignatione deesse contingit, ex eo suadet, quia Indus non debet dare nisi quantum labor eius æstimatur; cum ergo multo minoris æstimetur iuxta Regiam taxationem, iniquum videtur adeo excessiuum pretium reportare. De quo dixi Titulo 1. num. 135. & seqq. Nec dici potest eos pretium libenter offerre, & scienti, ac volenti non fieri iniuriam: quia in eo Indi suam redimunt vexationem; eorum ad instar, qui ob necessitatem vsuras soluiunt: vnde non est verum scientes, & volentes esse, eo voluntatis gradu, qui ad huiusmodi sufficiat: est enim voluntarium mixtum, vt communitur Doctores dicunt. Et quis non videat inhumanum esse Indum laborem suum diurnum pondere argenteo redimere, & summam ingentem pro diebus pluribus suæ obligationis accrescere, cuius vnuersum peculium vix ad illam soluendam satis esse queat?

Circa quæ aliqua obseruatione digna proponuntur.

72 Verum hæc erit qui audiat quispiam, sed qui exaudiat nullus, cum præsertim citata schedula circa hoc nullum iniicere scrupulum videatur. Erit tamen tunc indubitabilis restitutionis obligatio, quando sic soluentibus Indis, inueniuntur alij, qui minori velint pretio laborare. Item quando labor eius, qui eum pretio redimit, non erat talis futurus, qualis eius, qui ex argenteo octi-regali conducitur; hi enim robusti & experti sunt, & vno die plus emolumentum præstant, quam alij duobus, adolescentuli, & inerti; non est simile pretium exigendum. Vnde cum Caciquij pro aliquibus personaliter non comparantibus, qui esse plures solent, pretium redemptionis offerant, non debent secundum numerum æstimari æqualiter, quia in illis multi sunt viribus inæquales, vt non possint conductitijs exæquare. Quæ quidem nimis delicata aliqui reputabunt, qui ad maiora non hærent: sed iustitia delicata res est, cum omnem profliget iniuriam, æqualitatem inducat. Et in hoc quidem non leue aliquod detrimentum vertitur, sed sanè ingentia, dum de iniurijs pusillorum agitur, & grandi pro redemptione labores pretio disceptatur.

CAPVT VII.

Contractus alius Indis & Hispanis Metallariis vsitatus.

Frustra argenti ab Indis metallarijs subrepta au liceat emere publicè expofita, iuxta praxim quoniam.

73 Solent Indi in fodinis argenteis laborantes, cum diues est vena, frustra quadam metalli cum terrâ permixti seligere, & sibi occultè reseruare. Quæ autem occultè sustulerunt, publicè vendenda committunt, nisi fortè etiam per se ipsos vendant: quæ quidem Metallarij emunt vt possunt, sicut & Indi vt possunt, vendunt, & numquam magno pretio; quia non sunt rerum istarum delicati æstimatores. Circa quem contractationis modum iam pridem iteratæ & feruæ sunt habitæ consultationes, quia res consideratione dignissima videbatur. Vt enim non liceret, communia, & certâ fundamenta succurrebant, scilicet portiones illas metallicas esse furtiuas, & ita non emptibiles: res enim furtiua vendi nequit, cum debeat domino

Parsis negantis fundamenta.

restitui, & ita neque emi. Item quia per talem venditionem non transfertur dominium, quod est apud dominum rei furtiua, & ita venditio est nulla. Præterea: ementes fiunt participes criminis venditorum, quia venditio stare sine emptione nequit. Quo pacto etiam illorum peccata fouentur, quia si non essent emptores, non essent qui vt venderent furarentur. In casu item præsentis maximum videbatur inconueniens; quia Indi recentis fidei videntes sua furta emi, & ita non reprobari, existimare poterant licitum esse furari. Quid enim furari non liceat, si licet argentum? Et argui quidem hoc dilemmate potest. Aut Indi peccant, aut non peccant in huiusmodi subreptione: si primum, eorum debet peccatum impediri; si secundum, debent corrigi, & impediendo contractationem dictam efficaciter edoceri. Et vt denus iustificari posse subreptionem ex eo quod Indi existiment hoc pacto suum laborem compensari, cui merces est satis exigua constituta: id certè locum non habet in Indis conductitijs, quibus stipendium proportionatum tribuitur, & isti vt potè expertiores talia furta frequentius solent committere: & ita cum eorum furta cum alijs in mercatu concurrant, non debet generaliter eorum contractatio tolerari: & multo minus frequentari. Deinde ad huiusmodi contractum permittendum nulla esse videtur ratio momenti considerabilis; quia neque bono publico utilis est, nec Regi, & facile potest prohiberi.

74 Nihilominus suos habuit contractus iste defensores, vnde & auctoritate publica tolerantur, pro quo istæ esse rationes poterunt.

Pro affirmante rationes.

Prima: etsi prohibeatur, Indos ab huiusmodi subreptionibus non destituros, & vendituros occultè, esse autem utilius, publicè talia furta vendantur, ne scilicet argenti copia extra Mineralia, in quibus sunt furta communia, deferantur.

Secunda: etsi Indi furando peccent, à dominis tamen Minerarum debita ista remitti, dummodo publicè vendantur; sic enim facile recuperare oblata possunt, vel etiam vt Indi promptiores hac indulgentiâ in labore sint.

Tertia: quia multoties Indi in hac subreptione non peccant, putant enim sibi licere aliquid reseruare, quod satis exiguum est comparatione eorum, quæ alijs suo labore comportant. Sicut non peccat vindemiator, qui racemum comedit, aut poma colligens, si aliquorum comestione laborem alleuiet collectionis, & quidem labor effossionis adeo est magnus, & horrore plenus, vt non sit mirum putare Indos ista sibi leuamenta licere.

75 Quarta: quia etiam si peccare contingat, id ex erroneâ conscientia descendit, neque oportet eos circa hoc plenius instruere, ne ad maiora audaciam sumant: vnde maius peccatum minoris permissione cauetur. Si enim manifesta quandoque peccata ex tali sine tolerari possunt, cur non etiam illa, quæ peccata reipla non sunt, nisi quatenus ex erroneâ conscientia perpetrantur. Sic frequenter cum serui in Confessione de furtis se accusant Dominis factis, Confessarij non dicunt apertè in illis non peccare, etiam si reuera non peccent, quia domini illis necessaria non tribuunt, ne, si illis ea aperiat via, ad inconcessa pertent.